Locaechii Andreae, Scoti: Musae
catorres. Crac. 1608.

MVSÆ EXTORRES

ANDREÆ LOEAECHII SCOTI,

Sibi & Fortunæ diffisæ:

Soli in humanis

SIGISMVNDO III. POLONIÆ
ET SVECIÆ REGI CONFISÆ.

Eædem demissè Ambientes

WLADISLAI POL. ET SVEC. PRINC.
AMICVM PATROCINIVM.

Vtrique vltimùm importunæ.

CRACOVIAE. In Officina Lazari. A. D.
M. DC. VIII.

10

Hexaſtichon in Mundum,

Globo non inepté, ob volubilitatem, comparatum.



Machina tota teres *Mundi*, petit ima receſsu.
Mirarin'? uarium ſi gerat ille ſitum.
Huic (ſi digna malo tribuenda uocabula) inani
Cum faſtu Pluto molliciesq; rotant.
Summe Deûm rector, Crucis adde Trophæa Polono
Atlanti; ut ſacro pondere firmus eat.

Sigis=

SIGISMVNDVS
REX
&
WLADISLAVS
PRINCEPS

Per Anagramma promiscuum:

MIRVS DVX, DVLCIS SPES,
VEL IN ARIS PVGNAS.

Ex eodem Anagrammatiſmo

VOTVM AD IESVM

In Euchariſtiæ Sacr. Cultum: Vt omnia hactenus Regiæ M. aduerſa, deinceps propitius ſecundet.

D VX *Ieſu es* MIRVS. VEL IN ARIS *agmina uincis*
Robore, Phlegrææ quo cecidêre minæ.
S PES DVLCIS, PVGNAS, *& Cultus ſuggeris Arma,*
Sunt quibus Herculeæ claua manusq́; Nihil.
Da, quod auet Genitor (cupit æqua & digna rogatu)
Innocuo & quicquid Filius ore rogat.

Ad D. Virginem.

Die Purificationi ſuæ Sacro.

Vt Eidem apud Filium Patrocinetur.

S*upplicat (en) Regnum Puero, quem ſiſtis ad Aras:*
Iunge tuas Regni, Nympha beata, preces.

Virgo

Virgo audi, Matrum donas quæ more Columbas,
Dic bona verba Agno, quem geris ipsa sinu.

SIGISMVNDVS

Per Anagramma:

DIGNVS MVSIS.

Eidem eædem perhumiliter supplices.

Rex, inopi Vati Nati & tua Nomina tantùm,
En, superant: MVSIS hæc quoq; DIGNVS habe.
Hactenus (heu) frustrà colo qui tot nomina, Causæ
Officio experior nulla Fauere meæ.
E numero innumero, studio non Cultus inani
Wolscius (ô referant cui bona multa Dei)
Me, propè diffisum, nutu sustentat, & ore
Spe pleno meliùs Cras fore rebus ait.
Qui nostros æquâ censebas lance labores,
Sceptriger, inceptæ parcior esto Moræ.

O, Tibi per quicquid doctæ indulsere Camoenæ,
Me prohibe ulterius sollicitudo grauet.
Per Te, perq; tuum te Natum flecte Rogantem:
Squalore Ingenium hoc neue perire sine.
Tun' Spes committes ut suspicione notetur?
Quæ Fidei solita est semper adesse tuæ.
Obsta, per Charites & Relligionis honores,
Ne sint Lethæi hæc pectora præda lacûs.
Prouehe diuinas tendentem ad Apollinis artes.
Sic maior Phoebo, maior erisq; Ioui.
Quæritur Æs Vati, quod robore ducat ad illas.
Quæritur: interea at tertia messis abit.
Carmine quis sapiens transmiserit (oro) Iuuentam?
Si duram intentet tarda Senecta famem.
Turpe tuum Vatem est alienâ uiuere quadrâ:
Turpius ad nullum posse uenire gradum.
O, bonus esto mihi: auxilium largire benignus,
Humanisq; iuua dextram adhibere malis.

Sic tibi

Sic tibi contingant tranquillæ commoda Pacis;
At mala bello hostes asperiora premant.
Ultima, Rex, de me priùs, ô, censeto futura,
Quæ tribues, animo quàm benefacta cadant.
Deniq́, si modicum cecinisse canenda putabis,
Tu mihi post Superûm Numina, numen eris.
Hoc Reges MVSIS *sperare iubentur amici,*
Quisquis & in terris Pallade DIGNVS *agit.*

WLADISLAVS

Per Anagramma:

SALVVS LAVDI.

Musæ Eiusdem Patrocinium ambientes.

Parue artus, non parue animos Princepsq́ puerq́,
Artubus atq́ animis surgere in alta detur.
Sis licèt at paruus, uenerantur Numina magna;
Dum tibi submittit turba nouena genu.

Ore

Ore tuo, Princeps, uult magnus surgere Apollo:
Ære Patris magni fiet at istud opus.
De Patris Ære Patriq; Tibiq; perennius omni
Ære deus spondet pignus; honore decus
Scilicet æternum. Volitabit Fama sub axem,
Summóq; æquabit Nomen utrumque polo.
Crede mihi, in tuto est, Phoebo quidcunq; rependet;
Nec peritura feret, si peritura dabit.
Parue artus, non parue animos Princepsq; puerq;,
Tu magno Magnum flecte rogando Patrem.
Sic proauos Reges æques, superesq; merendo:
Sic Patris ad Titulos dent tibi Regna Dei.
Sic, LAVDI SALVVS, cùm uitæ impleueris annos,
Hæredem accipiant patria tecta Poli.

FINIS.